



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 6. Vtrum essentia, & existentia distinguantur inter se, & qua
ratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

- 183 Sufficiantque modò propositiones istæ. Plures enim elicient alij ex terminis huius disputationis; & nos etiam in sequentibus eliciemus.

Q V Æ S T I O VI.

Utrum essentia, & existentia distinguantur inter se? Et qua ratione?

- 184 **N**on agimus in hac questione de essentia, & existentia Dei; actum *suo loco* sed de essentia, & existentia creaturarum. Circa quam.
- 185 Prima sententia est essentiam creatam realiter à suâ existentia distingui tanquam ab aliquo sibi realiter superaddito, quo existens redditur. Ita vnanimiter Thomistæ Caiet. Ferrar. Capreol. Soncin. Scot. Bann. & alij apud Soar. *tom. 2. Metaph. disput. 3. sect. 1.* omnēque Recentiores, Quam sententiam insuper amplexi sunt P. Molin. *1. p. quest. 3. art. 4. disputatione 2.* & P. Albertin. *de prædicam. subst. disp. 2. quest. 1.*
- 186 Secunda sententia est Scot. *in 3. dist. 6. quest. 1.* & discipulorum eius communiter. Necnon P. Fonl. *tom. 1. Metaph. lib. 4. cap. 2. quest. 4. sect. 1.* alientium essentiam creatam, non quidem realiter, sed formaliter ex naturâ rei à sua existentia distingui.
- 187 Tertia sententia est essentiam creatam, & existentiam nullâ omnino distinctione reali, aut formali ex naturâ rei distingui; sed à parte rei idem omnino esse. Ita Soar. *suprà*, Valquez *1. p. disput. 179. n. 6.* Valent. *disput. 1. quest. 3. punc. 4.* Percir. *lib. 6. Physic. cap. 4. Rub. lib. 1. Physic. Tract. 1. quest. 4.* Alarc. *Tract. 6. disputatione 1. cap. 2.* Petr. Hurt. *disputatione 8. Metaph. sect. 4.* Arriag. *disputatione 2. Metaph. sect. 3.* Oued. *contr. 2. Metaph. pun. 2.* & apud eos alij plures. Qui omnes aut docent, aut supponunt essentiam creatam per nostram rationem à sua existentia distingui. Quod à nullo Theologorum negari testatur Soar. *suprà* *sect. 6. n. 16.* An verò distinctio hæc præcisua sit formalitatum ex parte obiecti, uti supponunt antiquiores plerique, vel tantum ex parte actus se habeat, Recentiores vertunt in dubium. Ex quibus Hurt. Arriag. Oued. *suprà*, & alij censent, esto inter alias formalitates præcisio obiectiua sit admittenda inter essentiam tamen, & existentiam, solam formalem debere admitti ex parte actus, non ex parte obiecti se habentem. Nescio tamen, cur in eâ hypothesi non ponunt præcisionem obiectiuâ non mutuum inter essentiam, & existentiam, uti eam ponunt inter ens, & suas differentias, inter omniaque prædicata transcendentia, & subiecta, quæ dicuntur transcendere, ut suo loco notabimus. Existentia quippe prædicatam transcendens est comparatione existentium. Alij verò Recentiores absolute opinantur inter essentiam, & existentiam præcisione obiectiuam, eamque mutuum dari oriundam ab intellectu nostro pro statu præsentis; uti vniuersa ferme Antiquitas citra dubiū est opinata.

Propositio 1.

- 88 Existentia non aliquid distinctū realiter ab essentia, eique re ipsa superadditū, ut Thomistæ autumāt. Probatur primò generali ratione: quia non sunt superaddendæ entitates sine necessitate: sed sine entitate sibi realiter superaddita potest quævis essentia existere, ut ex dicendis constabit. Ergo.

Secundò: quia si essentia realiter distincta esset ab existentia, realiter quoque prius naturâ esset, quam illa: quia vel esset causa eius materialis, seu receptiua, ut communiter Aduersarij concedunt, vel existentia modus esset essentia non mutuo cum illa connexus, eoque titulo aliter, quam effectus posterior natura, quam illa, iuxta generalem doctrinam ordinū, tradendam à nobis *infra suo loco*: ergo in priori ante existentiam se ipsa existeret essentia (Siquidem esse vnum prius, quam aliud realiter, habereque esse, seu existere prius, quam illud idem omnino est.) Ut quid ergo noua existentia superadueniens, postquam iam independentem ab illâ existit essentia?

Tertio probatur: quia essentia existens aut producit ut condistincta ab existentia superaddita, per seque terminat productionem, aut non: Si non: ergo nihil est actus, & extra causas; sed manet intra ipsas purè possibilis, atque adeo non est existens, contra suppositionem. Etenim, quidquid est ens actus (vno Deo excepto) ab alio est productum, per seque subinde terminat productionem, ut constat. Si verò essentia ut condistincta ab existentia superaddita terminat, per se productio: onem: ergo ut condistincta ab existentia superaddita, atque adeo præciscendo ab illa, est extra causas: productio quippe extrahit à causa rem productam: ergo ut condistincta, & præcisa ab existentia superaddita est existens: quia esse extra causas, & existere in idem recidunt: ergo existentia superaddita superuacanea est. Confirmatur, & declaratur: quia effectus productus non solum accipit à causa per productionem existentiam essentia: sed etiam accipit enim à causa totum, quod est à parte rei, nec posset talem existentiam accipere sine essentia, cuius ea est modus: ergo effectus productus re ipsa habet extra causas tum essentiam, tum existentiam superadditam; illam quidam per identitatem; hanc per inhesionem, siue adhesionem. Sed habere à parte rei essentia suam extra causas est formaliter existere à parte rei: ergo effectus productus antecederet, independenter à superaddita existentia, seu præciscendo ab illa, se ipsa existit à parte rei. Superflue igitur ut existat, ei talis existentia adiungitur.

Quarto probatur propositio. Quia ens in actu constituitur tale per existentiam, ut fatentur omnes. Vel ergo effectus productus ut condistinctus ab existentia superaddita est ens in actu; vel solum in potentia? Si tantum in potentia: Ergo est quid purè possibile; neque datur à parte rei, quando datur existentia eius, suamque terminat productionem, quod est chimericum. Si autem ut condistinctus ab existentia superaddita, & præciscendo ab illa est ens in actu. Igitur ea seclusa manet existens actu. Ea ergo prius redundat. Nec dici potest in eo signo præcisionis, neque esse ens in potentia, neque ens in actu: quia nequit non habere in eo signo suam essentiam (cum sit impossibile quidpiam aut esse, aut concipi alicubi sine se ipso) vel ergo illa habet actualiter; & ita erit ens in actu, vel illam habet tantum possibiliter; & ita erit ens in potentia. Alius autem modus habendi essentiam non est, quod ad rem attinet, ut constat.

Quinto probatur. Essentia existens prout condistincta ab existentia superaddita terminat actum scientiæ Dei, distinctum saltem ratione nostra ab actu, quem terminat ipsa existentia; siquidem distinctorum obiectorum distinctos nos actus concipimus in scientia diuina. Vel ergo actus ille est simplicis intelligentiæ; & sic essentia per eum cognita purè erit possibilis, cum tamen ponatur existens, quod est contradictio: Vel est visionis; & sic essentia per eum cognita,

cognita, vt cōdīstincta ab existentia superaddita per te ipsam exit existens. Existentia ergo superaddita superflua est. Simile argumentum fieri potest de gaudio, quo Deus de essentia existente gaudet haud dubie, prout cōdīstincta à superaddita existentia.

193 Sexto denique propositio nostra probatur efficacissime. Quia omnia argumenta, quibus contendunt Thomistæ præfati existentiam esse aliquid reale realiter ab essentia distinctum, pariter probant, si quid probant, ipsius existentie dandam esse aliam distinctam, & huius tertiam, & sic in infinitum, qui processus implicatorius est, vt constat. Ratio est clara: quia illa existentia superaddita habet suam essentiam indifferentem, vt sit, aut non sit extra causas, à Deoque potest vel produci, vel non produci, vt aduersarij fatentur, omninoque tenentur fateri, ne Deum aliquā obligent necessitate producendi creaturā. Ergo aut essentia existentie eget aliā existentia, vt determinetur ad existendum, aut reliquæ essentia illa non egent. Nec valet respondere existentiam esse rationem existendi, & ideo non egere alia existentia: id, quod non habent reliquæ essentia. Quoniam si esse rationem existendi bene potest componi cum indifferentia dicta, quam habet existentia vt sit, aut non sit extra causas; etiam ego dicam, quamuis essentiam esse rationem existendi comparatione sui, cum id non tollat indifferentiam, quam habet ad existendum, & non existendum. Idemque argumentum potest desumi à coniuncto ex essentia, & existentia superaddita sumpto indiuisim.

194 Huiusmodi argumentis conuictus Thomista quidam apud Hurt. *suprà* §. 43. & apud Arriag. *l. p.* 65. fatetur essentiam productam habere quidem ante existentiam superadditam esse actuale, & extra causas; hanc tamen nihilominus illi adiungi vt complementum quoddam. Ceterum, quam line idoneo fundamento Auctor iste aliam confingens valde diuersam, sententiam deserat suorum vniuersim requirentium superadditam existentiam, adhuc vt essentia actu sit extra causas, bene ibi Hurt. profectur In quo propterea ne immoremur.

195 Verum contra propositionem statutam multa pro sententia Thomistica obici solent. Sit primum. Si essentia non distingueretur realiter ab existentia, sequeretur existentiam esse prædicatum essentiale cuiuslibet entis singularis: ergo quodlibet existeret essentialiter, vt existit Deus: ergo non posset non existere, sicut non potest non esse id, quod essentialiter est. Confirmatur primò. Hæc propositio fuit ab æterno vere, *Petrus est rationalis*, eo quod rationalitas est prædicatū indīstinctum à Petro, ob idq; ei essentialis. Ergo etiam hæc fuisset ab æterno vera, *Petrus est existens* ob eandem rationē, si existentia Petri realiter est ipse Petrus, Petrusque subinde absolute existit ab æterno, quod est absurdum. Confirmatur secundo. Quidquid est idem cum ente singulari est de essentia eius saltem physica, de eoque proinde dicitur essentialiter: sed enti creato existenti accidentale est existere; cum solus Deus existat essentialiter: ergo ab ente creato existente realiter est distinctum ipsum existere. Confirmatur tertio. Quelibet creatura est indifferens ad existendum, & non existendum ergo existere distinguitur à creatura re ipsa. Neque enim fieri potest vt aliquid sit indifferens ad id, quod secum est idem, & ad carentiam eius. Confirmatur quarto. Essentia Petri modo existens est eadem prioris numero cum essentia eiusdem Petri, quæ ab æterno fuit purè possibilis, quia quidquid actu est, purè possibile fuit primum: sed quando erat purè possibilis non concipiebatur ex parte obiecti existentia exercita Petri, tota

Pharus Scient. Tom. I.

omnino essentia cōcepta, potius concipiebatur talis essentia vt non existens: ergo existentia exercita Petri non potest nō esse aliquid ab essentia Petri distinctū.

Omnia hæc argumenta optimè à nostris Docto- 196 ribus in ipsos retorquentur Thomistas: quippe, quæ eodē modo probant existentiam superadditam, quæ ipsi adstruunt, & quædam etiam essentia est, debere per aliam secundam superadditam existentiam existere, & hæc per tertiam, & sic deinceps in infinitum, quod tamen est absurdum. Etenim existentia illa, si est suum existere, essentialiter existet, atque adeo ab æterno. Tum non erit illi accidentale esse, & non esse, quod repugnat creaturæ. Neque erit illa indifferens ad existendum, & non existendum; neque esse poterit, aut concipi purè possibilis absque exercitio existendi, &c. Quæ omnia enti creato impossibilia sunt. Pariterque in coniuncto ex essentia, & existentia superaddita sumpto indiuisim locum habent. Ex quo patet argumenta prædicta ad rem inefficacia esse, & ab Aduersariis etiam necessariò soluenda.

Igitur ad primum respondeo, existentiam prædi- 197 catam accidentale, & contingens esse essentia creatæ; non quia ei contingenter accidat vt quid realiter superadditum (vt sic enim ei persistit in eodem statu citra omnem variationem intrinsecam posset existentia deficere, vt possint alia omnia accidentia ei contingenter superaddita titulo talium, quod est absurdum) sed quia essentia ipsa cum sua existentia contingenter ponitur in rerum vniuersitate, illique proinde accidit, seu contingit; contingenterque transfertur de non esse ad esse, in esseque recepto durat. Vnde existentia non accidens prædicamentale, sed tantum prædicabile est essentia creatæ, cui propterea identitas cum illa non obstat. Eatenus enim existentia vt accidens dictæ essentia concipitur, quatenus hæc considerata secundum se in statu quiditatio, seu obiectiuo, qui ab existentiæ præcīdit de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo indifferens est ad existendum, & non existendum. In quo differt ab essentia diuinā, quæ de suo, siue ex conceptu suo obiectiuo omnino est ad existendum determinata, nullaque ratione subinde ab statu existentiā, vtī creatā, potest deficere. Vide dicenda fusius de huiusmodi statibus *infra disp.* 10. Sed dices. Non potest non essentia creatā esse determinata de suo ad id, quod secum idem est: ergo si suum existere est idem cum illa, non potest non esse de suo determinata ad existendum, perinde atque essentia diuinā. Distinguo antecedens: Non potest non esse essentia creatā determinata de suo intra statum quiditatio, à quo ea nequit deficere, ad id, quod secū idem est, concedo; intra statum existentialem, à quo ea deficere potest, differens eo ipso à diuinā, nego; & nego consequentiam. Itaque status quiditatio essentia creatæ non est connexus cum existentiā, sicut status quiditatio essentia diuinæ. Atque adeo licet essentia creatā nequeat non esse suum existere in statu quiditatio, inde non fit debere esse suum existere in statu existentiā, vt debet essentia diuinā: quia essentia creatā cum omnibus, quæ secum sunt idem ab statu existentiā potest deficere, diuinā non item. Quod ipsum est, essentiam creatam posse simpliciter non existere: diuinam non item.

Ad primā confirmationem respondeo, hanc pro- 198 positionem, *Petrus est rationalis*, in sensu merè quiditatio, seu obiectiuo, atque adeo præcīdente ab existentiā, fuisse ab æterno verā, quatenus verè ab æterno dici potuit, Petrum ex suo conceptu obiectiuo idem esse cum rationali. Quo pacto si proferretur hæc propositio, *Petrus est existens*, vt sensus esset, Petrum ex conceptu suo obiectiuo esse idem cū suā

T existen

existentia, etiam fuisset vera ab aeterno. Prolata tamen, ut semper solet, in sensu existenciali, ponente scilicet Petrum cum sua existentia in statu existenciali, neutiquam fuit ab aeterno vera, qualis nec fuisset illa, *Petrus est rationalis*, si in eodem sensu proferretur. Ex quo patet identitatem praedicati, & subiecti non facere, quod propositio in rebus creatis sit de materia necessaria; atque adeo vera ab aeterno, nisi ea in sensu quiditativo praecedente ab existenciali sumatur; sumptis videlicet eius terminis, prout in statu quiditativo, seu obiectiuo cum praecisione ab existenciali.

199 Ad secundam confirmationem iam constat ex dictis, quo pacto existentia possit esse accidens praedicabile, contingensque essentiae creatae tamen sit idem cum illa.

200 Ad tertiam etiam ex dictis constat, posse optime creaturam indifferentem esse de suo ad existendum, & non existendum, id est, ad essendum & non essendum in statu existenciali, quantumvis ea cum sua existentia idem re ipsa sit.

201 Ad quartam denique, concedo maiorem, nempe existentiam Petri existentis eandem esse, quae fuit ab aeterno pure possibilis, & distinguo minorem. Sed quando erat pure possibilis non concipiebatur ex parte obiecti cum existentia exercitata, sed potius sine illa praecedentibus obiectiue vnam formalitatem ab alia, quales nos sumus pro hoc statu concedo: à non praecedentibus obiectiue vnam formalitatem ab alia, quales sunt, qui intuitiue, seu per species proprias cognoscunt, subdistinguo. Non concipiebatur ex parte obiecti cum existentia exercitata, sed potius sine illa in statu existenciali, concedo; in statu pure obiectiuo, seu quiditativo, nego; & nego consequentiam. Lege dicenda circa *proposit. 5.* quae, ut hanc solutionem percaleas, lucem praestabunt.

202 Deinde contra propositionem statutam ita obici solet. Nulla creatura est actus purus, quia id est proprium Dei: ergo omnis creatura est composita ex potentia, & actu: sed non est excogitabilis compositio ex potentia, & actu communis omni creaturae, praeterquam ex existentia, & essentia. Ergo. Concedo nullam creaturam esse actum purum, quatenus actus purus naturam dicit non perfectibilem ab extrinseco, utpote habentem de suo omnem perfectionem formaliter, aut eminenter, qualis est solus Deus; nego tamen hinc sequi, omnem creaturam debere esse compositam ex potentia, & actu: ut sic enim ipsa potentia, & ipse actus utpote creaturae deberent rursus ex potentia, & actu componi, abireturque in infinitum, quod est absurdum. Solum ergo sequitur de ratione creaturae esse, limitatam perfectione habere, eamque acceptam ab extrinseco per sui productionem, atque adeo per quemdam transitum de potentia ad actum, qui absque existentia superaddita sit, ut constat ex dictis.

203 Tertiò obicitur. *Esse creaturae esse receptum*, alias non esset limitatum; ergo *esse creaturae*, nempe existentia recipitur in eius essentia, quia aliud non est, in quo recipiatur. Respondetur *esse creaturae receptum esse à principio effectiuo*, indeque limitatum, quatenus principium efficiens dicitur dare *esse creaturae* ipsamque creaturam ab illo suum *esse* recipere. Non est tamen de ratione creaturae habere *esse* in se, ut in causa materiali receptum; alioquin ipsum *esse* huius existentiae titulo creaturae, in se quoque haberet *esse receptum*, & abiremus in infinitum, quod est absurdum.

204 Quarta. Essentia creaturae est separabilis ab existentia, siquidem potest non esse existens; ergo distinguitur ab illa. Distinguo antecedens: Essentia creaturae est separabilis ab existentia, separatione

stricta, nego antecedens: separatione lata, quae unumquodque dici potest separari à se ipso per sui corruptionem, quo solum pacto potest essentia non esse existens, concedo; & nego consequentiam.

Quintò obicitur. Existere Petrum hodiè non est existere cras; ergo existentia Petri hodierna, & crastina non sunt idem: at essentia Petri eadem est hodiè, quae cras; igitur existentia Petri distinguitur ab eius essentia. Hoc argumentum probat existentiam Petri intrinsecè esse successiuam, atque adeo singulis instantibus habere Petrum existentiam diuersam; pariterque probari potest Petrum per existentias distinctas existeri in singulis locis, quando mouetur; siquidem existere Petrum in vno loco non est existere in alio. Quae tamen existentiarum multiplicatio aliena prorsus esse videtur à mente Thomistarum. Respondetur ergo existere Petrum hodiè, praeter existentiam Petri ab eius essentia indistinctam dicere durationem hodiernam, sicut existere Petrum in hoc loco, praeter eandem existentiam ab essentia indistinctam dicit praesentiam Petri in hoc loco. Duratio autem hodierna Petri à duratione crastina distincta est; vel propter connotationem, quam inuoluit desumptam à distincto tempore extrinseco, ut multi opinantur; vel quia duratio modus quidam est superadditus rei existenti essentialiter successiuus, ut ego cum aliis opinor; quemadmodum praesentia in communi sententia modus quidam est superadditus rei existenti pro locorum diuersitate diuersus. Male ergo ex eo quod existere Petrum hodiè non sit existere cras, inferitur existentiam, quam Petrus hodiè habet, ab existentia, quam cras habebit distinctam esse; maleque propterea inde deducitur Petri existentiam ab eius essentia distingui.

Sextò obicitur. Scientia simplicis intelligentiae, & scientia visionis distinguuntur in Deo, quia prima est de veritatibus necessariis, ut *homo est possibilis*; secunda de contingentibus, ut *homo existit*. Primaque subinde circa rerum essentias; secunda circa existentias versatur: sed non potest idem obiectum simul necessarium esse, & contingens; ergo nec possunt rerum essentiae non esse distinctae ab existentis. Hoc argumentum, sicut & cetera, in ipsis existentis infringitur. Quae tum per scientiam simplicis intelligentiae in quantum possibiles, quo pacto veritatis sunt necessariae; tum per scientiam visionis in quantum existentes, quo pacto veritatis sunt contingentis, cognoscuntur à Deo; cum tamen per se ipsas, & non per alias existentias distinctas à sua essentia existant. Ad illud ergo, concessa maiore, distinguo minorem. Non potest idem obiectum simul necessarium esse, & contingens secundum eandem considerationem, concedo: secundum diuersas, nego; & nego consequentiam. Itaque nihil vetat eundem hominem per se ipsum necessarium esse in essendo id, quod ex suo, conceptu obiectiuo est; & esse contingentem in existendo, sub priorique consideratione proinde terminare scientiam Dei necessariam, qualis est simplicis intelligentiae, & sub posteriori contingentem, qualis est visionis. Vide ad rem plura *inferius loco citato*.

Septimò obicitur. Multa sunt, quae conueniunt cum aliis ut possibilibus, & non ut existentibus; ergo possibile ratione existentiae superuenientis est distinctum ab existente. Primò retorqueo argumentum. Idem est connecti cum aliis ut possibilibus, & non ut existentibus, ac connecti cum eorum existentia ut possibilis, & non ut existente; ergo existentia possibilis ratione alterius existentiae superuenientis distinguitur ab existente, & sic in infinitum. Secundo, concessa antecedente, nego consequentiam quia licet possibile, & existens entitatiue sunt prorsus idem,

Disp. IX. De ente, essen. exist. &c. Quæst. VI. 219

idem, ratione tamen diuerforum statuum diuerfas veritates obiectiuas sortiuntur, quarum vna bene potest terminare respectum, quem non terminat altera, sicut & scientiam. Circa quod vide etiam dicenda *ibidem*. Mitto alia leuiora, quæ ex dictis facile quilibet diluet.

²⁰³ Opponitur tandem S. Th. qui 1. p. quæst. 3. art. 4. & lib. 2. contra Gent. cap. 52. & opus. de ente. & essentia cap. 5. & lib. 4. Metaph. lec. 2. aliisque in locis aperte, pro aduersariorum sententia stare videtur. Cæterum satis appositè exponi potest Doctor Angelicus de distinctione essentia creatæ ab existentia in tempore, hoc est, à duratione, quæ ea in tempore existere, siue durare dicitur: hæc enim in mea, multorumque sententia, modus quidè est realiter superadditus essentia existenti per quem ea determinatur ad existendum in hoc potius tempore, quam in alio, sicut iuxta opinionem communè per præsentiam, tanquam per modum superadditum determinatur ad existendum in hoc loco potius, quam in alio. De quo ex professo agendum suo loco. Et quidem Molin. noster, qui 1. p. q. 3. art. 4. disp. 2. existentiam censet realiter distingui ab essentia, §. *Hic constituitur*, probat existentiam, & durationem omnino esse idem, & hanc esse sententiam S. Th. & communem assernat Valent. 1. p. disp. 1. q. 10. p. un. 1.

Propositio 2.

²⁰⁹ Essentia creatæ à sua existentia formaliter ex naturâ rei distincta non est.

Hæc propositio est contra Scotistas, perspicueque constabit ex infra dicendis disp. 13. quæst. 5. ubi distinctionem formalem ex naturâ rei, quam adstruit Scotistæ inter formalitates identificatas realiter, quales essentia, & existentia sunt apud ipsos, tanquâ penitus impossibilem latè, & efficaciter refutabimus. Vide *ibi* scripta, & applica propositioni præsentis.

Propositio 3.

²¹⁰ Essentia creatæ, & existentia neque virtualiter distinguuntur à parte rei in ordine ad subeunda sine contradictione predicata contradictoria, vti à plerisque Theologis distingui dicuntur essentia, & Personalitates diuinæ.

Quoniam huiusmodi distinctio in rebus creatis nullatenus est admittenda, vt apparebit ex dicendis dicta disputatione 13. quæst. 6.

Propositio 4.

²¹¹ Essentia creatæ, & existentia per nostrâ rationem distinguuntur, & quidem vt duæ eiusdè rei formalitates ex parte obiecti, & mutuò præcisæ ab intellectu nostro. Præcisio quippè obiectiua non mutua omnino impossibilis est.

Hæc propositio est contra Hurt. Arriag. & Quijeda. citatos supra. Eam tamen præter nobiles Recentiores tenuit haud dubiè vniuersa Antiquitas, quæ solam distinctionem rationis ex parte obiecti se habentem, & consequenter mutuò præcisiuam agnouit, vt ostendunt, quæ latè scribemus infra d. 13. q. 9. & seqq. ubi propositionem hanc tum sub vniuersali doctrinâ, tum sub speciali, tum etiam in particulari affatim comprobabimus.

Propositio 5.

Ab iis, qui cognoscunt intuituè, siue per proprias species, nullam distinctionem rationis sub-

Pharm. Scient. Tom. 1.

ire possunt essentia creatæ, & existentia.

Quia, quæ realiter sunt idem vt sunt essentia, & existentia, iuxta doctrinam *propos.* 1. iis qui cognoscunt per proprias species nullatenus possunt apparere distincta aliquâ distinctione rationis, vti nobis cognoscentibus per alienas apparent, prout late etiâ probabimus loco nuper citato. Vnde probatio huius propositionis pariter atque præcedentis petenda est.

Inferet aliquis: ergo qui cognoscunt intuituè, non poterunt iudicare veritates necessarias, vt homo est animal, cum præcisione ab existentia, Quod est absurdum. Fieret enim inde, vt de solis rebus actu existentibus possent ij iudicare, non item de purè possibilibus, nec de conditionatè futuris. Distinguo illatum: Qui cognoscunt intuituè nō poterunt iudicare veritates necessarias cum præcisione ab existentia, tanquâ à quadam formalitate non cognita per actū, quo cognoscunt essentia, concedo. Tanquâ ab actu existentiali, ubi quoad nihil sui cognoscuntur veritates prædictæ, nego. Quo cessat absurdum propositū, & propositio nostra firma consistit. Id enim non est cognosci ab intuitibus essentia, ne cognita per eundem actum existentia identificata cum illa, vti cognoscitur à nobis; quod eis possibile negamus; sed cognosci totum, quod re ipsa est essentia in vno statu, & non in alio ab illo diuerso; quod eis possibile concedimus. Quomodo autem status quiditatuus, in quo veritates necessariae prædictæ cognoscuntur ab intuitibus, atque etiam à nobis diuersus sit ab existentiali inferius disp. 10. quæst. 1. declarabimus.

Hinc fit. Nos tum vtroque modo commemorato, tum altero solo posse præcindere essentiam ab existentia, cum tamen cognoscentes intuituè altero tantum modo possint, vt dictum est. Præcindimus nos vtroque modo, cum de aliqua essentia purè possibili verè sic iudicamus, hæc essentia est essentia. Nam tale iudicium nullatenus tangit existentiam cum tali essentia identificatam; atque ita essentiam ipsam ab illa vt à quadam formalitate præcindit; tum de illa iudicat, prout in statu quiditatuus, & non prout in statu existentiali quod est etiam illam ab actu existentiali præcindere, solo autem posteriore modo præcindimus nos cum de aliqua existentia purè possibili, aut de concreto ex illa & subiecto verè sic iudicamus, hæc existentia est existentia; aut, hoc existens est existens, puta ex conceptu suo obiectiuo. Cōstat enim per huiusmodi actus nos non præcindere ab existentia, vt à formalitate per eos non tacta; quandoquidem expressè illa per eos attingitur. Cum tamen prorsus præcindamus ab actu existentiali iudicantes solum, quid sit de suo ea existentia, aut id existens in statu quiditatuus, seu obiectiuo. Igitur, qui intuituè cognoscunt hoc posteriori modo, dumtaxat iudicant de rebus non existentibus cum præcisione ab existentia, siue ab actu existentiali. Apprehendunt enim eas quoad omnia, quæ re ipsa sunt, citra omnem præcisionem formalitatum, atque adeo sicuti à parte rei essent, si existerent; de illisque sic apprehensis vnico simplici intuitu iudicant, quidquid illis conuenit prout in statu quiditatuus, nihil de eis iudicando, prout in statu existentiali; vnicoque subinde iudicio de vnaquaque re sic concepta iudicant omnes veritates, quæ cum illa sunt idem, & ei conueniunt in illo statu, quæque à nobis vt potè formalitates, præcipientibus iudicandæ pluribus veniunt, è quibus vna est illa, quæ in nobis respondet his verbis, hæc existentia est existentia; aut, hoc existens est existens, scilicet ex conceptu suo obiectiuo.

Adde nos etiam passim præcindere essentiam ab

T 2

existen

existentia, ut à formalitate, ab statu existenti non præcidentes, nimirum cum iudicamus de rebus existere, quod cognoscentes intuitu præstare nequeunt: veritas enim obiectiva correspondens his verbis, *Petrus existit*, composita est apud nos ex duplici formalitate obiective præcisa, ex essentia scilicet Petri, & existentia eius, apud illos verò minime; sed ipsa est simplex entitas Petri existentis, sicuti est à parte rei. Imò verò quotiescunque nos iudicamus de aliquo, quòd existit, non possumus non obiectivè præcingere existentiam à subiecto existenti, quantumvis ex parte ipsius subiecti expressè existentiam concipiamus. Sic cum iudicamus, *existens existit*; aut *existens existit*, existentia posita ex parte prædicati formalitas est ratione nostra distincta ab existentia posita ex parte subiecti, & ei superaddita; ob idque propositiones istæ accidentales sunt de accidenti prædicabili metaphysico, utpote, quarum prædicatum aliquid adiecit subiecto, iuxta doctrinam tradendam *infra d. 17*. Nec terreat te, quòd iuxta hanc doctrinam progressus infinitus formalitatum videtur necessariò admittendus; nos enim lubentes illum admittimus in formalitatibus transcendentes, qualis est formalitas existentie. Putamus enim connaturalissimum esse modo, quem iudicandi habemus, prorsusque immunem ab omni incommodo, cum syncategorematicè tantum, non item categorematicè sit infinitus; De quo non semel in sequentibus sermo reddidit.

216 Hinc vnum colliges notandum. Si hæc propositio, *existens est existens*, sumatur in sensu quiditativo, ut sub istis terminis solet, eam quidem essentialiter esse, & necessariè veritatis, atque ita eius prædicatum nihil subiecto adiecit, sed illud repetit, formalitatemque proinde existentie posita ex parte prædicati in concreto eadem est omnino, quæ pariter posita est ex parte subiecti. Si verò dicta propositio in sensu existenti sumatur, ut potest, ita quod huic omnino æquivalet, quæ in tali sensu sumi solet, *existens existit*; tunc quidem formalitas existentie posita ex parte prædicati in concreto distincta erit ab eà, quæ pariter posita est ex parte subiecti, & ei superaddita. Quo fiet, ut propositio, & sit accidentaliter, utpote, cuius prædicatum aliquid adiecit subiecto, & sit veritatis contingens, utpote, quia existentia creata, de quâ tractamus, accidens contingens censetur subiecti existentis, prout *suprà proposit. 1* explicatum est. Pariterque de similibus propositionibus philosophandum est; soleturque attendendum semper, an propositio in sensu quiditativo; an in sensu existenti sumatur: pleræque enim possunt sumi in utrovis, iuxta intentionem proferentis; tamen pauca sint dubij sensus, si termini iuxta communem usum, & non aliter accipiatur. Etenim hæc propositio, *homo est rationalis*, iuxta communem usum in sensu quiditativo sumitur, quo pacto necessariè æternæque veritatis est. Nil tamen vetat sumi eam à proferente in sensu existenti, ut sensus sit, *homo existentiè, seu in statu existenti, est rationalis*; quo pacto contingens, temporariæque veritatis erit, contra verò hæc propositio, *homo est existens*, iuxta communem terminorum usum, sensum existentialem habet, de materiæque contingente subinde est. Si tamen velit illam proferens, ut sit eius sensus, *homo existens ex conceptu suo obiectivo est existens, siue idem cum sua existentia*, sensum habebit quiditativum, atque materiam necessariam; similiterque de similibus ratiocinandum est.



DISPUTATIO X.

De variis statibus entium, seu rerum atque, ad eò obiectorum intellectus humani.



Æc disputatio, tamen etiam bona ex parte sit metaphysica, propius accedit nihilominus ad præsens propositum, ubi de obiectis intellectus humani, quæ talibus potissimum agitur. Etenim status rerum dicitur impræsentiarum ille modus essendi earum, ratione cuius aliqua veritas obiectiva de ipsis scibilis, siue indicabilis est. Unde, quot fuerint rerum modi essendi diuersi, ratione quorum diuersæ de eisdem veritates obiectivæ scibiles, siue indicabiles fuerint, totidem rerum status recensendi erunt; censeferi autem possunt hoc pacto. Primus est status essentia, seu quiditatis rerum, qui status earum quiditativus, siue obiectivus appellatur. Secundus status existentia, seu actualitatis rerum, qui non absque status earum existentia dicitur. Uterque autem rursus aut est status absolutus, aut status conditionatus. Absolutus in quo vnumquodque aut est absolute id quod est, aut absolute existit. Conditionatus in quo vnumquodque aut est quod est, aut existit non absolute, sed sub conditione aliqua, siue hypothesi. Præterea status absolutus, aut etiam conditionatus, quicumque ille sit in statum determinatum, & vagum, seu disunctum dividi potest. Determinatus est in quo res determinatè aut est id, quod est, aut existit. Vagus in quo sub aliqua disunctione. Denique status existentia, quicumque etiam sit, in statum præsentia, præteritionis, futurationisque dividitur iuxta tres differentias temporis, præsentis, præteriti, & futuri in quibus res potest existere. Igitur de omnibus hæc rerum statibus impræsentiarum tractandum est.

QVÆSTIO I.

Quid sit status rerum existentia. Quid status quiditativus, seu obiectivus. Quid status conditionatus Quid absolutus, Et quod duplex?

Complector sub hac vna questione hos omnes status compendij causâ; tum quia ex mutua eorum comparatione melius uniuscuiusque quiditas innotescet; tum quia eorum aliqui aut confunduntur, pro eodemque reputantur apud Auctores; aut eodem prorsus modo explicantur, siue constituentur.

Status existentia rerum ille modus essendi est, quem habere dicuntur dum actualiter existunt existentia reali. Quid autem sit res actualiter existere existentia reali aut, in quo id consistat, ad eò est ex terminis ipsis cunctis notissimum, ut amplius per clariore terminos explicare nec necessarium sit, nec possibile. Existencia quippe rerum realis, & actualis, prout ad hunc pertinet statum, siue